

sacrificii Christi Sacramentalis memoria:
sicut *Ambrosius* & *Chrysostomus* exposue-
runt: *Quid ergò per dies singulos offerimus?*
offerimus quidem, sed recordationem facientes
mortis eius &c.

IN MEI MEMORIAM.

HOc exponet Apostolus: *Mortem Domi-
ni annunciate, donec veniat.* Eucharistia
igitur *μνημόσυνον*, *memoriale* est mortis Chri-
sti, hoc est, Sacramentum, in nobis exci-
tans memoriam, & confirmans fiduciam
mortis Christi, quam appetiit, non suâ cau-
sâ, sed pro nobis, ut cibus & potus æternæ
vitæ nobis fieret. Hic igitur usus est Sa-
cramenti. Primum, ut eo, tanquam arrha-
bone cœlitus dato, obsignetur fidei nostræ
mors Christi, quòd nostra sit cum omni-
bus suis effectis: seu, quòd CHRISTUS sese
frangendum & mortificandum dederit, ut
nobis ab æterna morte liberationem con-
ferret. Hæc est *ἀνάμνησις* fidei.

Deindè, ut hoc arrhabone accepto, cele-
bratio tanti beneficii nobis perpetuò re-
frigeretur, nec animis nostris unquam efflu-
at, aut ingratitude sepeliatur. Hæc
est *ἀνάμνησις* gratitudinis. Hac igitur fi-
duciâ, hacq; gratitudinis *ἀγαπήσει* ad Sa-
cram